



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cautela Confessarii Pro Foro Sacramentali Occasione  
Decretorum S. M. Alex. VII. Innoc. XI. Et Alexandri VIII. ...**

**Matthaeucci, Augustín**

**Francofurti Ad Moenum, 1711**

§. IX. Impedimentum disparitatis cultus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40684**

§0. Quibus visis. Notabis omnem gradum consanguinitatis, usque ad quartum inclusive, hodie esse impedimentum dirimens matrimonium, idque non solum in linea recta, sed etiam in laterali, sic communiter DD. ex Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. per hæc. *Cum ergo usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copula sit restricta.* Ubi: Concilium loquitur inestinctè, & absolute de ipsis quatuor gradibus: quæ absoluta locutio comprehendit utramque lineam.

Idque factum est, tum ob reverentiam, quæ debetur sanguine conjunctis: tum, ne consanguinei ob spem matrimonii minus castè funul cohabitent.

## §. VIII.

*Impedimentum criminis.*

§1. **C**rimen, de quo hic est, quando alteruter conjugum conspirat cum tertio in mortem conjugis, ut contrahat cum illo tertio matrimonium; vel, quando committit adulterium cum aliquo, & ut postea contrahat matrimonium cum ipso, interficit conjugem; vel, dum committens scienter adulterium cum aliquo, contrahit matrimonium cum eo, primo viro vivente: vel promittit contrahere, mortuo marito; & illa conditio acceptatur ab adultero. Videlicet *lib. 2. cap. 9. num. 6.*

## §. IX.

*Impedimentum disparitatis cultus.*

§2. **D**isparitas cultus dirimit matrimonium inter baptizatum, non

baptizatum: non verò inter fidelem, & hæreticum, qui est baptizatus, ut communiter DD. & patet ex praxi Ecclesie: videtur enim à Catholicis celebrari matrimonia, inter Magnos Principes, etiam Hæreticos: quod fit ex dispensatione Papæ.

§3. *Queritur, Turca convertitur ad fidem: uxor errores Mahometis non vult deferere, ille petit à Confessario, an possit aliam Catholicam ducere, quid Confessario dicendum?*

Resp. Solutio habetur, *cap. quanto de divortis*, ubi hæc sunt: *Si enim alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertitur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia Divini nominis: vel, ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquatur ad secunda, si voluerit, vota transibit: & hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus. Si infidelis discedat, discedat.*

§4. *Sed queritur, Turca plures habens uxores, potestne omnes retinere?*

Resp. Negative textus expressus *cap. Gaudemus cit. tit.* ubi: *Scriptura Divina testatur, quod propter hoc, relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: non dixit tres, vel plures, sed duo: nec dixit adhaerebit uxoribus, sed uxori; nec ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi, cui fuit divina revelatione concessum.* Ex quibus patet Polygamiam esse prohibitam. Ideò primam debet retinere, modo vellet pacificè cum eo cohabitare.

§5. *Sed petitur, Turca uxorem, quam apud suos accepit, erat sibi conjuncta.*  
(Bbb bb) 3.



juncta in 2. vel 3. gradu consanguinitatis, quæritur, an post baptismum possit eam retinere; nam nec cum ipso cohabitare, nec recipere fidem Catholicam recusat?

Resp. Solutionem habes ex cap. *gaudemus*. Ubi Pontifex interrogatus, an Pagani, juncti in gradu prohibito, lege Canonica tantum, conversi ad fidem, separari debeant. Respondet, negativè: quia in præmissis gradibus à Paganis, quoad eos matrimonium licitè sit contractum, qui constitutionibus Canonicis non arctantur & infra: Fideles hujusmodi matrimonialiter copulati liberè possunt, & licitè remanere conjuncti, cum per Sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.

Nota, textum loqui de Paganis, nam de hæreticis diverso modo est discurrendum: quia, cum per baptismum sint Ecclesiæ incorporati, & ejus subditi effecti (quamvis propria malitia rebelles) tenentur legibus Ecclesiasticis, statutibus, etiam impedimenta dirimentia matrimonium. Subditus enim, quamvis rebellis, tenetur ad leges sui Superioris, ut docuit Engel. *colleg. jur. can. lib. 5. tit. 3. à num. 20.*

Dicitur in dubio, in 2. vel 3. gradu, quia, si contraxisset cum Matre, nullum esset matrimonium, & eam non posset conversus ad fidem retinere; nam nullum est matrimonium, contractum cum consanguinea in primo gradu lineæ rectæ, ut omnes docent. Et probant ex illo Scripturæ: *propter, hoc, relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhæret uxori suæ.* Unde apparet, uxorem

ex jure divino debere esse personam à Matre distinctam.

§ 5. Item, nullum foret etiam, si contraxisset cum fratre. Cum item commune sit, nullum esse matrimonium contractum cum conjuncto in primo gradu lineæ transversæ, propter quamdam indecentiam, aut aversionem matrimonii in eo gradu, etiam ipsis Ethnicis communem: qui, teste Augustino 19. de Civit. cap. 16. & ipsi connubia fraterna, abhorrevunt.

§ 6. Sed quid, vir post baptismum labitur in hæresim, an uxor possit alium ducere?

Resp. Negativè, vivente viro, ut expressè ibi textus in *cit. cap. Quanto*; quia inter eos fuit matrimonium verum, & ratum, quod nullo modo dissolvi potest.

Dices, uxor relicta non debet sine sua culpa suo jure privari.

Resp. Idem textus allegat casum, in quo quis sine culpa jure suo privatur: ut si alter conjugum incidatur. Lege Gloss. *ibid. vers. simularent hæresim*. Hic itaque est causa, quare privatur quis jure suo sine culpa; quia nimirum matrimonium est indissolubile: & quia conjuges sibi invicem displicentes, hæresim fingerent, ut unus alium dimitteret. Quod esse non potest sine injuria conjugii.

§ 7. Sed quid, etiam de Judo converso qui, dum inter Judæos vixit, suam uxorem repudiavit?

Resp. In alleg. cap. *Quanto*, hoc sunt: qui autem secundum ritum legitimè repudiavit uxorem, cum tale repudium veritas Evangelicæ reprobaverit.



nunquam, ea vivente, licite poterat aliam, etiam ad fidem Christi conversus, habere: nisi post conversionem ipse, illa renuat cohabitare cum ipse, aut etiam, si consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, &c.

## §. X.

*Impedimentum metus.*

58. **V**is extorquens consensum ad Matrimonium incutiendo metum, matrimonium dirimit, cum tollat voluntarietatem, & libertatem consensus, qui est ita necessarius ad matrimonium, ut invalide contrahant, carentes usu rationis.

59. Nota, quod aliis dicitur metus cadens in constantem virum, & alius in virum inconstantem cadens. Primus dicitur, quo fit, ut ad grave malum evitandum, aliquid eligatur; ut si aliquis malit consentire in matrimonium, quam mori, graviter mutilari, &c. Cuiusmodi verò aliquis consentit, metuens, ne aliquos nummos, aut pallium v. g. amittat, aut, ne gratia Domini sui excedat, tunc metus dicitur cadere in virum inconstantem, & imbecillum.

60. Ideo, ut metus sit cadens in virum constantem, septem debent concurrere. I. Ut malum, quod timeatur, sit grave. II. Ut non leviter timeatur. III. Ut, qui minatur, possit, & soleat minas exequi. IV. Quod timeans non possit minanti resistere, aut aliquo modo vitare mala, quae timeat. V. Ut metus injuste insitatur. VI. Ut incutiatur ad finem matrimonii. VII. Ut incutiatur ab alio homine.

61. *Queritur, Petrus concubinarium metu inferni, vel mortis in infirmitate, vel naufragio ducit concubinam, petitur, an valide?*

Resp. Affirmative; quia metus invalidans Matrimonium per DD. debet esse incussus à causa extrinseca libera, ab alio nimirum homine, ad finem Matrimonii. Cujusmodi non est praetactus; quia, vel est incussus à causa naturali, vel à Deo immittitur ad salutem animae, ut loquitur Fagnan. in 3. ad cap. sicut nobis de Regul. num. 26. Vide lib. 3. cap. 4. num. 5. quae de voto diximus.

62. *Queritur, Petrus est justè damnandus ad mortem, cui Judex parcit, si velit ducere Meretricem, quam alias non duceret: petitur, an valide, si eam ducat?*

Resp. Affirmative; nam ille metus non est incussus ad finem extorquendi consensum in Matrimonium; nam mors ei non minatur ad hunc finem, ut eam ducat, sed justè statuitur propter alia delicta: cui proponitur Matrimonium, si vult mortem evadere, qui poterat non contrahere; & sponte Matrimonium eligit in remedium mali, sibi aliunde imminenti.

63. *Queritur, Paulus, Pater Berta, reperit Petrum abutentem filia, cui, stretto gladio, mortem minatur, si eam non ducat: Petrus promittit, & postea ducit, petitur, an valide.*

Resp. Affirmative; ratio est, quia iste metus est justè incussus, cum ipse Petrus de legerit justam causam ipsius metus incutiendi, abutendo filia, & sibi tribuere debet coactionem. DD. communiter.

Me-